



PRÆCIPVÆ
DIFFICVLTATES
PHILOSOPHIÆ
PERIPATETICÆ

QVAS

IN CATHOLICA ET CE-
LEBRI JNGOLSTADIENSI
ACADEMIA, SVB FINEM CVRSVS
Philosophici, Die IV. Iulij, Anno M.DC.XVI.

publicè proposuerunt


DVO

E SOCIETATE IESV.



JNGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano apud Elisabetham Angerma-
riam viduam.



DISPUTATIO

MAXIMÆ COELO-
RVM REGINÆ
MINIMI CLIENTES
D. D.
EX LOGICA.

THESIS PRIMA.



Logica obiectum adæquatum & attributionis est Demonstratio, siue
tertia operatio mentis in materia necessaria, vt in formam redacta scientiam pa-
tere potest. Vnde Logica rectè definitur, scientia practica modi sciendi tum di-
rectiua tum effectiua. Ad nullam totalem scientiam est necessaria physice, ad
omnes moraliter, ad partiales plerasque vtilis, ad quasdam etiam moraliter
necessaria.

2. Materiale significatum vniuersalis, est natura communis, quæ solâ ratione à singularibus
distincta, nullam à parte rei habet vnitatem communem, sed solum fundamentum (quod vni-
tatem fundamentale vocare licet) vnitatis vniuersalis, quæ vnitatis vna cum aptitudine rationis
ad plura, est formale significatum vniuersalis, & priuatio quædam rationis, resultans in conce-
ptu directo, naturam sine conditionibus indiuiduantibus, representante, eandemque in se in-
diuiduam vniuersalem extrinsecè denominans.
3. Analoga alia sunt Attributionis, quæ denominantur à forma principalis analogati, aliæ
Proportionis tum propriæ, tum impropriæ. Quæ ponuntur in Prædicamentis, debent esse rea-
lia, entia per se, incompleta; finita, completa, vniuoca. Relatio modaliter distinguitur à fun-
damento, quod potest esse in quolibet prædicamento. Posito termino ac ratione fundandi nec
supernaturaliter impediri potest. Rationem genericam ac specificam à termino, quem vt abso-
lutum respicit, numericam à fundamento desumit.
4. Nihil est sui ipsius signum, nisi confusè & secundariò. Enunciatio tam Apprehensiuæ,
quam Iudicatiuæ, est qualitas aggregata ex conceptu subiecti copulæ & prædicati, & si iudicati-
ua sit, ex assensu vel dissensu, quorum hic in apprehensione difformitatis, ille conformitatis cum
re cognita consistit. Verbum EST in omni enuntiatione de tertio adiacente solum obit vicem
copulæ. Enuntiationes, quas vocant Insolubiles, simpliciter sunt falsæ.
5. In consequentiis formalibus consequens in se contingens, sæpe vi antecedentis necessa-
rium est. Syllogismus ex apertè falsis non est verè syllogismus. Tam vis illatiua, quam ipsa
conclusio est integro syllogismo essentialis. Præmissæ necessitant intellectum quoad specifica-
tionem ad assensum conclusionis, & in eâ virtualiter cognoscuntur. Syllogismi propriè indire-
cti dantur in omnibus figuris.
6. Demonstratio est syllogismus faciens scire, requirit pro medio causam veram, physicam
vel virtualem, quæ non necessariò debet cognosci vt causa reflexè, sed solum directè. Obiectum
scientiæ debet esse perpetuum, vniuersale ac necessarium, vnde nulla datur propriè scientia de en-
te per accidens, nec de singularibus.

Univ. Eibl.
Munchn

7. Vnitatis

PHILOSOPHICA.

7. Vnitatis & distinctio scientiarum desumitur ab obiecto adæquate spectato, prout includit
tum materiale, tum formale Quod, tum formale Quo, per abstractiones verò à materia so-
lum vt à posteriori, & signo quodam scientiarum distinctio, vel vnitatis, non tamen vniuersim, col-
ligitur. In practicis desumitur diuersitas à fine, qui se habet, vt principia in speculatiuis, nec ab ob-
iecto differt. Ratio speculatiui & practici scientiam essentialiter nō diuidit, oritur ex obiecto for-
mali, quatenus vel tantum cognoscibile, vel etiam operabile est.
8. Subalternatio scientiarum propria est, cum obiectum subalternantis accidentali tantum
differtia ad subiectum subalternatæ contrahitur, ipsum tamē accidens non habet rationem for-
malis obiecti. Opinioni necessariò annexitur virtualis oppositi formido, non actualis, quæ sola
simultaneum scientiæ actum excludit. Idem actus non potest causari, à medio probabili & de-
monstratiuo.

EX PHYSICA.

9. Physica scientia speculatiua, pro obiecto habet Corpus naturale qua tale, cuius principia in
coramuni definiuntur, quæ nec ex se mutuo, nec ex aliis, sed ex ipsis sunt omnia, vbi particula Ex
semper tum habitudinem partis componentis, tum termini à quo significat. Sunt autem princi-
pia tria, duo quidem contraria forma & priuatio, tertium verò eorundem subiectum materia pri-
ma, quæ est pura potentia subiectiua, & actus absolutus secundum quid, habens propriam enti-
tatem, existentiam, subsistentiam, vnde naturaliter sine forma existerè potest.
10. Forma est actus substantialis vnum per se cum materia constituens. Omnes formæ sub-
stantiales & accidentales de facto educuntur ex potentia materiæ, excepta anima rationali; vnde
patet nec formas nec composita ex nihilo produci, licet tam hæc, quam illæ, propriè à Deo pos-
sint creari. Priuatio, quæ principiat cum deseritur, alia est remota, à dispositionibus abstrahens,
alia proxima, quæ easdem inuoluit, prior est essentiali generationis siue rerum naturalium in fi-
xi, principium; posterior solum naturaliter necessaria est.
11. Natura est principium motus & quietis, vel passiuum vt materia, vel actiuum siue inclinans
vt forma. Causa in communi adæquate, non tamen immediatè, nec vniuoce diuiditur in Mate-
rialem, Formalem, Efficientem, & Finale; Ideam, quatenus informat mentem artificis ad for-
malem, vt eundem in operando dirigit ad efficientem; obiecta verò, quæ potentias tum mouent,
tum terminant, ad finalem & efficientem reuocamus.
12. Causalitas materiæ respectu omnium effectuum est sustentatio, modus quidam substan-
tialis, distinctus modaliter ab Vnione, informatione, Receptione, quæ omnia eodem modo inter
se differunt. Causalitas Formæ est informatio, modus substantialis, ab aliis modis & ipsa forma, si
absoluta sit, modaliter distinctus. Supernaturaliter plures formæ, etiam oppositæ, possunt ean-
dem materiam informare, & vna forma plures materias, & quælibet quoduis subiectum. Effectus
principalis Materiæ & Formæ est compositum, quod sola ratione à partibus suis vnitatis distin-
guatur.
13. Causalitas Efficientis est actio, quæ, si emanationem excipias, nunquam immediatè pro-
cedit à substantia, sed à solo accidente, quod in virtute substantiæ ipsam substantiam producit. Vn-
de accidentia separata, sine peculiari Dei concursu produunt substantiam, quo casu principale
agens est Individuum Vagum eiusdem speciei cum effectu producto. Pro causalitate Finis, vni-
uersim bene assignantur ipsæ operationes, quatenus à fine dependent. Causa Finis secundum est
se reale, & requirit pro conditione apprehensionem bonitatis, quæ est ratio causandi ipsius.
14. Definitur Motus, actus entis in potentia, vt in potentia, quæ definitio omnem veram mu-
tationem comprehendit. Specificat motum principaliter terminus Ad quem, vt etiam actionem
& passionem, quæ inter se & à motu modaliter differunt. Actio substantialis extrinsecè talis de-
nominatur à termino. Creatio est vera actio transiens, sine subiecto in hætionis, non tamen adhæ-
sionis. Conseruatio est continuata productio, rebus creatis simpliciter necessaria.

A 2

15. Essen-

DISPUTATIO

15. *Essentia Quantitatis consistit in extensione aptitudinali in ordine ad locum. Diuiditur vniocè in Continuum & Discretam, siue numerum rerum quantarum. Continuum cum non componatur ex Indiuisibilibus, est diuisibile in infinitum; nec habet actu partes, ne sequatur infinitum actus, quod etiam per absolutam potentiam dari non posse tam in magnitudine, quam in multitudine, probabilius est.*
16. *Indiuisibilia tantum sunt modi, inueniuntur tum in substantiis, tum in accidentibus. Dantur actu sola terminantia, plura tamen in infinitum tum terminantia, tum saltem improprie continuantia, in actum redigi possunt, reali diuisione, figuræ conformatione, ac reali designatione. Inherere verò Indiuisibilia solis diuisibilibus suæ rationis, quibus seipsis vniuntur, vnde patet Indiuisibilibus substantiæ nihil inherere.*
17. *Locus formaliter dicitur modum quandam continentiam, materialiter superficiem corporis continentis. Dicitur Immobilis, quia natura sua non postulat moueri cum locato. Habet motus localis pro termino intrinseco modum quandam, vbi dictum, à quo Situs modaliter distinguitur. Possunt supernaturaliter plura corpora esse in eodem loco, & idem in diuersis; quo casu accidentia absoluta eadem rei vtrouique conuenient, non item quæ à loco dependent. In Vacuo, sola Dei potentia possibili, posset fieri verus motus localis.*
18. *Tempus secundum suam essentiam est ens reale & duratio motus, sola ratione ab illo diuersum, quatenus tamen est mensura, aliquo modo pendet à ratione. Tempus & Motus absolute incipiunt ac desinunt extrinsece, vt tanta verò intrinsece. Quies priuatiua incipit ac desinit extrinsece, quies negatiua intrinsece. Quæ generantur & creantur, incipiunt intrinsece; substantiæ corruptibiles desinunt extrinsece, si alia forma succedat, si minus intrinsece. Quæ annihilantur, possunt intrinsece & extrinsece desinere.*
19. *Nullum ens creatum potuit esse ab æterno. Materia cælorum, cum ex aqua sint producti, est eiusdem speciei cum sublunari, nec ideo cælum est corruptibile, vel liquidum. Cælum & astra, quæ essentialiter differunt à suis orbibus, agunt in inferiora tum luce, tum influentiis quibusdam; astra habent etiam proprium lumen, carent vt & cælum gravitate & leuitate, quæ sunt qualitates locomotiue rerum corruptibilium.*
20. *Gravia & leuia mouentur à seipsis principaliter, motus illorum in fine velocior prouenit à maiori gravitatione & impulsu. Est verò impulsus qualitas quædam speciei secundæ, per quam etiam proiecta mouentur, generatur in instanti à proiciente, vel impellente, corrumpitur contra nitente gravitate. Proiecta ab obstaculo eodem impulsu resiliunt, quiescunt in puncto reflectionis aliquando negatiue, aliquando tantum priuatiue.*
21. *Materia proxima Meteororum est Vapor & Exhalatio; causa formalis in sensu composito plerumque sunt certa accidentia, vel forma aquæ aut ignis. Causa efficiens æquiuoca principalis est cælum, & præcipue Sol, vniocè Indiuiduum Vagum. Locus est media regio aëris, quæ incipit, vbi efficax radorum solarium reflexio cessat. Fontium ac fluminum perennitas tum ex mari, tum pluuibus, tum vaporibus & aëre in terra interceptis prouenit. Iris, quam quisque videt propriam, etiam in quouis nubis gutta Solem reflexè repræsentat.*
22. *Generatio viuentium est origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ, ex vi productionis quæ talis. Generatio rerum naturalium, vt est motus, consistit essentialiter in mutatione totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem; vt est actio in productione compositi. Distinguitur à corruptione, tanquam ens à non ente. Vt formam corporis ab vltimis formis distinctam non admittimus, ita formas partiales, tanquam dispositiones ex parte materiæ naturaliter necessarias, in omnibus viuentibus dari censemus. In corruptione nunquam fit resolutio vsque ad materiam primam.*
23. *Alteratio est motus per se ad qualitatem absolute spectatam, intensio ad qualitatem maiorem, vnde essentialiter non differunt, potest tamen supernaturaliter dari alteratio sine intensio-*

PHILOSOPHICA.

- ne. Gradus qualitatis sunt eiusdem rationis indiuiduæ, quare in eorundem expulsionem, qui & quo ordine perire debeant, à Deo determinari debet. Raritas & Densitas sunt modi quidam quantitatis, quorum hic condensatione, ille rarefactione acquiritur. Viuentia habent certos terminos magnitudinis, & paruitatis, non item inanimata. Accidentia quoad intensiorem habent terminos magnitudinis quoad extensionem nullos.
24. *Ad actionem necessaria est agentis & passi distinctio, vnde nihil potest seipsum generare aut corrumpere, etiam supernaturaliter, nihil in se agere actione corruptiua secundum eandem partem, licet possit idem seipsum perficere etiam in eadem parte. Antiperistasis, in qua idem non agit in seipsum, fit alicuius, plerumque contrarij, obsidentis interuentu vel calorem euocantis, vel egressum eiusdem impediens.*
25. *Simile non potest agere in simile quoad intensiorem, quamuis vnum sit densius altero. Potest agens sibi omnino assimilare passum in parte proxima. Reactio fit, cum agens à passio reparatur secundum eandem partem & qualitatem, ac eodem tempore, saltem moraliter; requirit debitam vtriusque applicationem, & notabilem qualitatis excessum. Non potest dari actio in distans.*
26. *Mixtio essentialiter includit vniotionem materiarum, & productionem formæ mixti, ac connotat præuiam alterationem, siue conflictum miscibilium. Elementa manent solum virtute in mixto, per qualitates suas temperatas. Potest dari temperamentum mixti æquale ad pondus tam in qualitatibus inordinatis, quam alteratiuis. Elementa habent vnam qualitatem in summo, Ignis calorem, Aqua frigus, Terra siccitatem, Aër humiditatem; alteram admixtione contrarij remissioem, Ignis siccitatem, Aqua humiditatem, Terra frigus, Aër calorem.*
27. *Ex primis qualitatibus quæ sunt actiuæ in ordine ad mixtionem, calor & frigus, duæ passiuæ, siccitas & humiditas, omnes sunt resistitiuæ, & eiusdem speciei in omnibus elementis. Quodlibet elementum potest immediatè conuerti in aliud. A duobus a symbolis potest tertium elementum generari, non item à duobus symbolis. Symbola facilius conuertuntur in se mutuo, quam a symbola. Omne ens tum permanens, tum successiuum potest à Deo reproduci.*
28. *Anima essentiali habitudine respiciens corpus organicum informat omnes illius partes, in quibus aliqua vitalis operatio cernitur, vnde nec quatuor humores, nec probabilius etiam capilli & unguis, nec lac, nec semen viuunt. Triplex animarum numerus desumitur ex triplici operationum eleuatione. Anima sensitua formaliter vegetatiuam & vtramque animam rationalem, tanquàm partes potentiales includit. Sola rationalis est indiuisibilis. Omnes animæ eiusdem speciei, sunt eiusdem perfectionis indiuidualis.*
29. *Potentia animæ sensitivæ, quas ab anima realiter, auctoritas potius, quam ratio distinguit, generatim quinque sunt: Vegetatiua, Sensitiua, Appetitiua, Locomotiua, Intellectiua. Immediatè & principaliter eas Anima per emanationem producit, immateriales quidem in seipsa, materiales verò in certis organis. In alieno subiecto positæ essentia in statu violento, extra omne subiectum à Deo conseruata, more aliorum accidentium, per solam priuationem inhesionis existerent. Est inter illas ordo quidam naturæ & certa connexio, ratione cuius vna per alteram ostendi potest.*
30. *Potentia Vegetatiua, à Temperamento distincta, vna re ob varios actus variè diuiditur, principaliter in Nutritiuam, Augmentatiuam, & Generatiuam. Nutritio, quæ tota vita saltem moraliter continuatur, essentialiter à generatione non differt. Materia prima sola posset nutrire. Fames & sitis formaliter appetitum cibi & potus, materialiter sensationem aliquam tristem dicunt. Augmentatio est essentialiter motus ad quantitatem, fit secundum partes formales, non materiales.*
31. *Octo sunt potentia Animæ sensitivæ realiter inter se diuersæ; quinque sensus externi (qui si Deus veller, plures esse possent) vnus internus, appetitiua & locomotiua. Ad omnem sensationem*

DISPUTATIO

nem naturaliter requiruntur species per modum dispositionis, sunt virtuales obiectorum imagines, & sensibiles quidem in fieri & conseruari ab illis dependent, licet diuinitus sine illis existere, & ad sensationem obiecti tum absentis, tum non existentis concurrere possint. Duplex est specierum sensibilibus diuisibilitas, intensiua & extensiua, tum ratione obiecti, tum subiecti.

32. Sensibilia communia quinque sunt, Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo; Speciei sensibilibus proprii, modum quendam addunt; nec supernaturaliter obiectum commune sine proprio, vel hoc sine illo sentiri potest. Obiectum diuisibiliter existens potest à potentia indiuisibiliter existente, & indiuisibiliter existens à potentia diuisibiliter existente, diuinitus percipi. Cæteris paribus sensus facilius errat circa sensibile commune, quàm proprium. Sensibile excellens non corrumpit sensum ratione speciei, sed adiunctæ qualitatis.

33. Organum Visus probabiliter aliis est humor crystallinus, aliis tunica retina, obiectum adæquatam lux & color. Est verò lux qualitas physica à lumine solo subiecto diuersa, seipsa non visibilis, necessaria ad visionem ratione medij, obiecti, & organi; eius subiectum est perspicuum tum terminatum siue diaphanum, tum interminatum siue opacum. Perspicuitas formaliter consistit in potentia accidentali, qua subiectum potest in se recipere lucem & species; Opacitas contra est resistentia subiecti ad easdem qualitates, quæ oritur ex densitate quadam extensiua, & à coloribus multum adiuuatur.

34. Organum Auditus est aer quidam tympano auditus inclusus, obiectum sonus, qualitas permanens, quæ à duobus corporibus collisis, vel diuisis tertio corpore tenui expulso vel colliso producitur. Echo est sonus reflexus à loco duro & concauo. Organum Olfactus sunt in naso exarunculae mamillares, eius obiectum est odor, ortus ex certo temperamento primarum qualitatatum.

35. Gustus residet in duobus nervis à cerebro per mediam linguam diffusis; pro obiecto habet saporem, qualitatem ortam ex permixtione primarum. Sensorium Tactus sunt Caro & Nervi, obiectum qualitates primæ, & quædam etiam secundæ, inter quas non est grauitas & leuitas, quæ solo discursu per se sciuntur. Qualitates tangibiles organo inhzentes sensum non mouent, nec vllæ aliæ, nisi temperiem ipsius intensione superent.

36. Sensus Internus re vaus, officio varius, pro subiecto habet cerebrum. Præter sensibilia sensuum externorum cognoscit sensationes omnes, etiam proprias, & alia quædam sensibus externis incognita, vt Conuenientiam & Inconuenientiam, Vigilantiam, &c. vnde Estimatiua dicitur; vt verò quædam simpliciter componit, Imaginatiua, vt in absentia fertur, Phantasia, vt in præsentia cum sensibus externis, Sensus Communis, vt in rem cognitam, tanquam ante cognitam, Memoria denominatur.

37. Duplices sunt sensus Interni species, Sensatæ & Insensatæ, priores ab ipsis sensationibus siue obiectis vt cognitis, posteriores tum ab ipsis, tum principio generationis à Deo producuntur. Sensus Interno pollent omnia animalia, quorum instinctus naturalis non differt ab estimatiua, rem vt conuenientem vel disconuenientem appetitui proponente. Somnus est ligatio sensibus in somno certo ordine emergentibus.

38. Anima rationalis tres habet potentias re diuersas, Intellectum, Voluntatem, Locomotiua. Intellectus vt phantasmatum ope species intelligibiles producit, Agens, vt easdem recipit, & verbum Mentis efformat (quod etiam solus Deus producere potest) Possibilis, vt versatur circa rem cognitâ, tanquam ante iam cognitam, Memoria dicitur. Eius obiectum adæquatam est Ens, prout reale & rationis, positium & negatiuum includit. Naturaliter non potest operari, nisi per conuersionem ad phantasmata.

39. Species intelligibiles sunt spirituales qualitates & virtuales rerum imagines; dantur per se propriæ rerum singularium, vnde patet primum cognitum esse singulare. Vniuersalia directè cognoscuntur per eandem speciem, qua singularia, & in prima quidem cognitione, prius vniuersalia, quàm minus vniuersalia. Sola accidentia sensibilia habent propriam speciem, non tantum sola cognoscuntur proprio conceptu. Ad omnem cognitionem rerum spiritualium opus est specie rei materialis, vnde eas solum abstractiue cognoscimus.

PHILOSOPHICA.

40. Appetitus rationalis habet pro obiecto Bonum & Malum, qua talia, ab intellectu cognita, hoc necessario fugit, illud necessario appetit; diuiditur in Irascibilem & Concupiscibilem, quare non differunt, quod etiam de appetitu sensitiuo verum est, qui primariò in corde residet, & pro obiecto habet Bonum & Malum materiale sensu cognitum. Sola voluntas est intrinsecè libera, alias verò potentias extrinsecè tales denominat. In iis quæ bonitati malitiam adiungunt, vel indifferentia sunt, libera est quoad specificationem & exercitium.

41. Mouetur voluntas ab obiecto & à quibusdam causis moraliter, dum obiectum mediatè vel immediatè applicat. Ipsa verò mouet alias potentias etiam intellectum, rem tamen ad primam cogitationem & dissentum veri, aut assensum falsi sic apprehensi, non potest mouere; appetitus sensitiuus politice, vegetatiua & sensitiuus indirectè illi subsunt. Iubet Voluntas cum intellectu electum medium cognoscit executioni esse mandandum.

42. Habituum subiectum est Intellectus, vterque appetitus & phantasia hominis, in potentia locomotiua & membris, item in phantasia & appetitu brutorum nulli datur. Alij sunt infusi, qui à solo Deo, alij acquisiti, qui à repetitis actibus producuntur, hi actibus contrariorum habituum, illi à solo Deo destruuntur. Habitus acquisiti ipsam effectus substantiam attingunt. Augentur intensiue, per actus circa idem obiectum, siue æqualiter, siue magis aut minus intensos, ita vt similes quouis possint efficere. Extensiue augentur per actus circa diuersa obiecta partialia, additione nouæ entitatis.

EX METAPHYSICA.

43. Metaphysica est scientia speculatiua, ratione obiecti omnium certissima, propriè dicta Sapientia. Cæteris scientiis obiecta determinat, eaque esse demonstrat. Eius obiectum est Ens reale, analogum tum attributionis, tum proportionis, cuius conceptus confusus formalis est re & ratione vnus, ac præcisus ab omnibus inferioribus; determinatur ad inferiora solum per modum expressioris conceptionis, alicuius entis contenti sub ipso.

44. Ens rationis est, quod habet tantum esse obiectiuum in intellectu; potest fieri simplici apprehensione, ac necessario per modum entis concipitur. Aliud est fictum sine fundamento in re, aliud habet fundamentum in re, & est vel negatio, vel priuatio, vel relatio rationis. Non prædicatur vniocè de suis specièbus, nec habet causam efficientem physicam. Solum intellectus facit ens rationis, reliquæ tamen potentie illi fundamentum præbent.

45. Existencia in rebus creatis comparata cum actuali essentia, distinguitur ab ea sola ratione, comparata verò ad essentiam, prout est in potentia, distinguitur realiter negatiue, sicut ens à non ente; vnde patet rerum essentias ante sui productionem esse purum nihil, & propositiones æternæ veritatis, esse solum hypotheticè tales, & niti quodam esse rerum obiectiuo.

46. Subsistencia creata est modus substantialis, vltimò terminans substantialem naturam, constituensque rem per se subsistentem, & incommunicabilem; distinguitur ab ipsa, vt modus rei à re. Subsistencia materialis est diuisibilis in partes integrantes, quæ post diuisionem incipiunt esse integra supposita. Quodlibet ens seipso intrinsecè est singulare, vnde hæcceitas sola ratione ab illo distinguitur, quod idem de aliis gradibus Metaphysicis sentimus.

47. Passiones entis tres numerantur, Vnum, Verum Bonum; addunt illi formaliter solam negationem, vel denominationem ab habitudine ad aliquid extrinsecum. Possunt dupliciter demonstrari, primò à priori, vel omnes ex ratione ipsius entis, vel posteriores per primam; deinde per deductionem ad impossibile, qui modus nititur primo illo principio, in omni humana scientia impossibile est idem esse & non esse.

DISPUT. PHILOS.

48. Nulla datur in rebus vnitas præter numericam, nec alia realis distinctio, quàm numerica, quæ subdividitur in strictè realem & modalem, prioris signum est, cum aliqua sine reali vnione, vel à se mutuo separata existere possunt; posterioris, cum vnum separatum ab altero potest sine illo existere, non verò vicissim. Vnitas & distinctio Formalis ab vnitate & distinctione rationis rationalitatis diuersa, nulla datur.

49. Veritas transcendentalis significat entitatem rei, connotando cognitionem seu conceptum, cui talis entitas conformatur, vel in quo talis res repræsentatur, vel repræsentari potest, vt est. Bonitas transcendentalis supra ens addit solam rationem conuenientiae, quæ non est propria relatio, sed solum connotat in alio naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem, vel coniunctionem cum tali re.

50. Ratione naturali cognoscitur dari intelligentias, siue substantias quasdam Imateriales, Intellectuales & Corporeas; eis tres potentias re diuersas concedimus, Intellectum, Voluntatem & Virtutem motiuam. Naturali etiam ratione cognoscimus Deum esse, de cuius essentia est, vt sit ens vnde quæque perfectum, infinitum, simplicissimum, immensum, immutabile & æternum, cui in æternum laus & gloria.



Præsentæ Conclusiones quia Fidei ac bonis moribus non repugnant, simul & præcipuas Philosophiæ Peripateticæ difficultates continent, lucem & publicam discussionem iure merentur.

LEO MENZELIUS S. Theolog D. Prof. & pro tempore
Collegij Theologici Decanus.

Theses, quæ Magnæ Matris patrocinio dignæ sunt, Philosophicam censuram non verentur.

IOANNES SIGERSREITER Societatis IESU, Phi-
losophiæ Professor ordinarius, & Collegij Philo-
sophici hoc tempore Decanus.